



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vita Et Doctrina Christi Domini

More, Henry

Antverpiae, 1649

XV. Apparet Discipulis piscantibus. Pars 2. Io. 21.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56545](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56545)

XV.

Apparet Discipulis piscantibus.

Pars 2. Io. 21

1. **V**T ergo descenderunt in terram viderunt ¹ prunas positas, & ² piscem superpositum, & ³ panem, dicit eis IESVS, ⁴ afferte de piscibus quos prendidistis nunc.

1. ostendit se non ex necessitate petijse cibum, sed ex dispensatione; 2. in pisce super prunas iterum docet recolendam semper Passionem, & 3. in feruore spiritus cœlesti pane vescendum; iubet denique afferri de piscibus, vt miraculum miraculo comproberetur, neque occultetur Dei tam magnum beneficium, quantum est in captura signatum: Multiplicatio, scilicet fidelium; humilitatis doctrina; & auxiliij diuini ad conatus nostros promouendos promptitudo.

2. *Ascendit Simon ¹ Petrus, & traxit ² rete in terram, ³ plenum ⁴ magnis piscibus centum ⁵ quinquaginta tribus, & cum tanti ⁶ essent non est scissum rete.* Gregor.

²⁷ Quoties à terrenarum rerum tumultibus separamur, quid aliud quàm missi ²⁴ in Euāg. Greg. hom.

252 MYSTERIA RESURRECT.

intra rete fidei vt pisces ad littus trahimur: in ista verò piscatione & multi pisces, & magni capiuntur, & rete non rumpitur, quia sancta Electorum Ecclesia, ad dextram in Resurrectione locata, in continua Auctoris sui pace conquiescens nullis dissensionibus laniatur:) & August. "Modo (in hac vita) quanti super numerum accedunt ad fidem, & in libro vitæ non scribuntur: ibi (in altera vita) certus est numerus, nemo super numerum: dicit enim centum quinquaginta tribus.

Aug. f. 148.
de Temp.

3. Dixit eis IESVS, 'venite,' prandete, & nemo ³ audebat discumbentium interrogare eum, Tu quis es? scientes ⁴ quia Dominus est, & venit IESVS & accepit panem, & dat eis, & piscem similiter. Gregor. Cur cum septem discipulis conuiuium celebrat, nisi quod eos tantummodo qui septiformi gratia Spiritus sancti pleni sunt futuros secum in æternâ refectione denunciat.) nemo autem audebat, &c. frustra enim est interrogatio cum res aperta est; toti in Diuino eius vultu & modo agendi absorpti stupent, & præ reuerentia silent; Ipse verò

Greg. sup.

CON-

consuetæ suæ humilitatis more mini-
 strat, neque panem consolationis &
 fortitudinis à pisce separat. Passionis,
 centuplum retribuens pro parte piscis
 assi, quem prius dederant ipsi degustan-
 dum. " Domine Deus meus ego sum
 pauperrimus seruulus tuus, &c. Thom.
 à Kemp. l. 3. c. 3. n. 6.

XVI.

De trinâ interrogatione Petri.

Io. 21. 15.

1. **C**um ergo pranderent, dicit Simoni In vigilia
 Petro IESVS, Simon Ioannis¹ diligis SS. Apostol.
 me plus² his? dicit ei, etiam Domine³ tu Petri &
 scis quia amo te, dicit ei,⁴ pasce agnos meos. Pauli
 Chrysoft. " Quod maximè Diuinum Chrysoft.
 nobis amorem conciliat, est proximi di- hom 87.
 lectio, quam à Petro exigit; neque ne- Vide Bern.
 gationis meminit, neque exprobrat, f 2 de Re-
 tantum dicit, si amas me, frarum curam surr. & ep.
 suscipe, & animam quam pro me posi- 201,
 turum dixisti, hanc pro ouibus meis
 trade.

2. Dicit ei¹ iterum, Simon Ioannis di-
 ligis me? ait illi etiam, Domine tu scis quia